



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Virginibus quænam summè, ne tantum liliu[m] amittant, seruanda;  
quæq[ue] virtutes illis cumprimis sint necessariæ. Can. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

mentes, & ad omne opus bonum reddit ineptas. Quid plura? Semper illam præcedunt ardor & petulantia, semper comitantur foetor & immunditia. Semper sequuntur dolor & poenitentia: semper famem patitur cum non habetur, quæ non habita fuerit, heu heu, prorumpit dolor, angit mœror, hebetatur mens, ingemiscit ratio, exhorretur vita, concupiscitur mors, & tarde demum cognoscitur diu stare non potuisse, quod malè perpetratum est. Ex his & similibus colligere licebit, quanta secum miseranda voluptas mala adferat, in quam extremam sui amatores miseriam detrudat.

1. Thef. 4.

Castitatis  
encomium  
excellens.Virginitatis  
neglectori-  
bus quid fa-  
ciendum.

Quanto igitur feliciores hi, qui calcata voluptate, qui spretis mundi delitijs, qui diuitijs & seculi pompis contemptis, me Deum ac sponsum suum per munditiam castitatis sequuntur. Hæc nanque est voluntas mea sanctificatio vestra, ait vas electionis, beatus Paulus Apostolus meus, *ut sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore*. Tale quippe vos decet seruare mihi vas cordis & corporis vestri, ut nulla forde vel carnis contagione polluntur, sed ut castitatis continentia resplendat: O si huius virtutis æmulatores esse velleis, quantum gaudium breui in conscientia vestra sentiretis, quàm modico temporis interuallo gloriôsè de omnibus inimicis vestris triumpharetis. Quâdoquidem ipsa est, sicuti quidam de secretissimis meis inquit amicis, ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solamen mœrentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus omnis regionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, summa mea amica, angelorum socia, victoria libidinum, schola virtutum, possessio omnium bonorum, quàm qui possidet, habet pacem in conscientia, lumen in mente, hilaritatem in facie, gaudium in anima, securitatem in morte, & partem in æterna mea felicitate. Hæc dicta sunt in horum gratiam, qui innocentiam virginalem suaptè negligentia & culpa amiserant, ut hos per huius præcellentissimæ virtutis tramitem ad me alliciam, & ab erroris sui tenebris ereptos, ad viam salutis reducam: quemadmodum me fecisse meministis etiam multis magnisq; peccatoribus, quos per hanc viam ad summum sanctitatis euexi culmen, & in regno meo supra multos angelorum locaui choros. Nemo itaque desperet de salute, sed si quis lapsus est, doleat, poeniteat, emendetur se ex corde, & reuertatur ad me, & ego suscipiam eum contritum & humiliatum. Hæc hætenus ad castitatis studiosos.

*Virginibus quænam summè, ne tantum lilium amittant, seruandam  
quæque virtutes illis cum primis sint necessariae.*

## CANON VIII

Psal 36.

Sponsus ce-  
lestis qualia  
sponsæ suæ  
beneficia  
prærogat.

**A**D te denuo ô sponsa mea candorem & pulchritudinem virginei pudoris amantem reuertor, doceboq; te, viam per quam ambulare debeas ne hunc præciosissimum thesaurum quem intra te tenes amittas, simulq; formam ac modum viuendi tibi præscribam, ut scias quid agere, quidve vitare debeas. Scis nanq; ô amantissima sponsa mea quod secretorum meorum optimè conscius sanctus David in libro Psalmorum protestetur hunc in modum: *Declina à malo & fac bonum*. Hoc ergo primum est præceptum quod tibi do, ut ab omni non solùm malo, sed etiam specie mali, quantum tibi possibile fuerit, abstineas, & ex toto ac integro corde



corde (vti supra quoque monui te) ad me summum ac vnicum bonum, amantissimum, pulcherrimum, dulcissimumque sponsum tuum conuertaris, simulque illum immensum meditando amorem, quo ab aeterno te amauerim, & à peccatorum multiplicium nexibus eruerim, ex ipsisque inimici faucibus toties te eripuerim, præterea vti tuam in me naturam assumpserim, preciosissimumque sanguinem, vt te mihi in sponsam eligerem, effuderim. Et quia ego Dominus ac sponsus tuus tanta pro te passus sum, vt te mihi perpetuo desponsarem, hinc colligere haud immerito poteris, quid pro mei sanctissimi nominis honore simul ac amore tollerare debeas. Et sicut ego ex ardentissima charitate patri meo cœlesti memetipsum pro te, ac pro totius mundi peccatis in ara crucis obtuli, ita quotidie temetipsum mihi offerre, per propriæ voluntatis abnegationem, pro quibuscunque ego desidero causis ac mundi necessitatibus debes. Nam hoc mihi sacrificium quàm gratissimum ac acceptissimum est.

Esa 55.  
Ephes. 5.  
Heb 9.  
Sacrificium  
quodnam  
Deo gratif-  
simum offe-  
ramus.

*Voluntatis diuinæ cognitio quam sit cunctis necessaria  
virginibus.*

CANON IX.

Secundo, cum intelligas tanto me erga te amore feruere, omne studium tuum serit, vt discas perfectè meam voluntatem agnoscere, eamque pro virili adimplere. Nam seruus qui cognoscit voluntatem Domini sui: & eam non facit, plagis vapulabit multis. Præterea sedulo obseruabis non solum mandata mea, sed etiam consilia, sed & sanctæ Ecclesiæ constitutiones, nec non & interna monita & inspirationes meas, quibus soleo plerumque meos admonere charissimos, ne otio vacent, ne corpori aut somnolentiæ tempore diuinorum locum dent, ne tempus negligenter & inutiliter expendant, ne nimis corpori indulgeant, ne se alicui præferant, ne tandem inaniter se extollant, cæteraque huiusmodi per quæ eos ad redamandum me prouoco. Nihil nanque magis horreo, & detestor, quàm teporem amicorum meorum, qui meritò diu noctuque summa reuerentia, maximaque animi alacritate coram me assistere deberent, ac mundo corde, puraque conscientia suas preces pro se, pro populi peccatis, proque totius Ecclesiæ salute ac reformatione in diuinæ maiestatis meæ conspectu fundere.

Teporem  
amicorum  
suorum  
quantum  
Deus odiat.

*Mens virginis à quibusnam mundanda sit, quibusque  
rebus studendum*

CANON X.

Tertio, præcipio tibi, vt cor tuum mundes ab omnibus vitiorum sordibus per veram eorundem vitiorum mortificationem, & iugem meæ amarissimæ passionis memoriam: alioquin & si corpore incorrupta sis, tamen cor tuum spurcitiæ fœdatam inhabitare non possum: quando ego summè omnem cordis detestor immunditiam, nec illi queam diuitias diuinorum meorum chrismatum communicare. Propterea per Prophetam meum testatus sum: *Lauamini, mundes-  
sote, & auferete malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Malæ siquidem cogita-  
tiones à diabolo proueniunt, & corda hominum facillè nimis inquinant, à quibus  
ô virgo sponsa mea tibi caue, alias certo certius te derelinquere cogar. Tu nanque  
scis, sæpius tibi testatus sum quàm mihi sit grata amabilisque virginitas & pudicitia  
virtus, si aliarum sceditate culparum non inquinetur.

Esaie. 1.  
Cogitatio-  
nibus qua-  
tenus absti-  
nendum.